

IN HONOREM NVPTIARVM

ORNATISSIMI DOCTIQ; VIRI, DOMINI DAVIDIS
REINECK SPONSI, ET PVDICISSIMÆ

Virginis Margaretha Malliana Sponse,
concinnatus per

CHRISTIANVM FVRECCERVVM POM.



*Natura mirus artifex,
Rerum magistra nobilis
Ministrat instar divitis
Secreta promptuarii.*

*Est Turtur inter ceteros
Exercitus volantium
Ob castitatem plurimis
Prestantior volucris.*

*Nam nidulo sub calibe
Non est, sed ambiunt pares:
Ducit maritus conjugem,
Nubit marita turturi.*

*Ratis semel jam nuptiis
Ducit domum mas fœminam,
Et caritatis gratia
Adhæret alter alteri.*

*Mas non amat libidines,
Thorum nec extra lûstat;
Marita nidis incubat
Maris sui fata osculis.*

*Haud jurgiis domunculam
Castam severis implicant:
Sed per vices se blandulis
Solantur ipsi voculis.*

*Nec fit ut ille fœminam,
Marem vel illa deserat:
Nefas putant divorcio
Mentes amantum distrabi.*

*Sic ambo vivunt unice,
Donec fruuntur aëre,
Vnoq; (mirum) mortuo
Tollunt secundas nuptias.*

*Viduus superstes respuit
Fontis perennes rivulos,
Nec, ni prius turbaverit
Aguas arenulis, bibit.*

*Solus volat, solus cubat,
Tristis vaga sedens hamo,
Nec fronde tunc in laurea
Irretiendus aucupi.*

*O mira mundi fabrica,
O caste rerum conditor!
Qui castitatis flammulas
In hac volucre diligit.*

*Tu, sicut es castissimus,
Damnas amores improbos,
Dum bruta cogis legibus
Non absq; certis congregi.*

*Exemplar est, affectibus
Turtur carens incongruis.
Ergone cedat turturi
Imago nobilis Dei?*

*Honore non caret suo
Apud pios connubium,
Quod sanciant concordibus
Vir & puella gaudiis.*

*At, quos Venus lascivis
Pascit voluptuariis,
Jugalis autor copula
Et ejus ultor puniet.*

*Ducat maritus conjugem,
Nubat marito fœmina,
Expers vaga libidinis,
Amansq; sit concordia.*

*Laudamus hoc in turture,
Miramur autem plurimum,
Aves ineptas nidulos
Habere nunquam dispares.*

*Felix acerbis jurgiis
Carere debet copula.
Lapsus mariti fœmina
Obnubat, et mas conjugis.*

*Ut temperantur melleis
Austera succis pharmaca,
Et maltha fracti marmoris
Agglutinat corpuscula:*

*Sic fœmina modestia
Zelus mariti frangitur:
Ac pacis alma glutinum
Nuptas novas ferruminat.*

*Sit ergo nuptis castitas,
Fides, Amor, Modestis:
Non dêerit & concordia
Et caritatis premia.*

*Tibi DAVID & MARGARIS
Talem precor concordiam,
Flammam fidemq; mutuan,
Thorumq; prorsus Turturum.*

*Pax alma spondas ambiat,
Ducesq; mille calitum:
Lucina caram visitet
Semel quotannis conjugem!*

*Seden, pias inter preces,
Rapit mihi Poëticam
Caducifer furax lyram,
Sopitq; vesper turtures.*